

rumpuntur, ut Doctores communiter docent); nam alias non dicerentur Missæ secundum institutionem S. Gregorii, et consequenter non satisficeret obligationi in omni rigore. An autem hujusmodi Missæ ab uno eodemque Sacerdote dicendæ sint, inter auctores disceptatur. Requiritur porro, ut Missæ applicentur pro defuncto, non autem, ut debeant esse de *Requiem*, nisi in diebus permissis."

« In revelationibus S. Gertrudis (*Legatus divinæ pietatis*, Lib. 5, Cap. 19), editis cura et opera Solesmensium Ordinis Sancti Benedicti Monachorum (Parisii, 1875), adhuc septem Missæ B. Gregorii Papæ, divinitus revelatae, ut habet traditio, et septem continuis diebus celebrandæ afferuntur, « eo quod ad liberandum animas a poenis suis miræ sint virtutis et efficaciarum. » Ex quibus aliæ sex exortæ esse videntur, quæ a fidelibus passim postulantur, sed hæc sex Missæ nec vita nec scriptis S. Gregorii, nec etiam alia traditione probantur, ideoque a Sacerdote ad libitum cum interruptione celebrari possunt.

ARTICULUS V

DE MISSIS DE « REQUIEM » IN DIE ANNIVERSARIO

Q. 353. *Quid est Anniversarium, generaliter loquendo? In quem finem instituit Ecclesia annuam Defunctorum per Anniversaria commemorationem?*

R. I. Anniversarium generice sumptum, ut ex ipsa verbi etymologia patet, diem significat determinatum, quotannis recurrentem, quo alicujus eventus annua commemoratio recolitur.

Relate ad defunctos Ecclesiæ Catholicæ filios, generaliter loquendo vocatur Anniversarium dies quo annua memoria agitur unius vel plurium defunctorum, nempe per Missæ Sacrificii oblationem.

NOTA. Sacrificio Missæ adjungi possunt, sed non debent, Officium Defunctorum, necnon Absolutio post Missam.

S. Rituum Congregatio rescripsit enim quod Anniversarium solemne ex testamento relictum nihil aliud importat per hoc præcise nomen Anniversarii, nisi onus Missæ solemnis Defunctorum; quod si per testamentum injungatur etiam Officium, hoc restringitur ad unum Nocturnum conveniens diei cum Laudibus. (Cfr. Decret. 21 Julii 1855, n. 3032, antiq. 5212, ad 1 et 2.) — Item circa obligationem Absolutionis post Missam

in Anniversariis, eadem S. Congregatio declaravit, quod « non ex obligatione, sed ad arbitrium facienda est Absolutio in Anniversariis mortuorum. » (Decret. 31 Julii 1665, n. 1322, ad 6, antiq. 2345, ad 7.)

Obligatio ad prædicta dari potest tamen ex justitia, nempe ex fundatione, vel ex pia voluntate petentium, vel ex consuetudine in loco existente.

II. Anniversaria defunctorum eum in finem instituit Ecclesia, ne umquam apud vivos defunctorum memoria deficiat; ut, si forte, peccatis nondum expiatis, animæ lustralibus flammis crucientur, nostris suffragiis adjuvari, et a poenis quas adhuc patiuntur erui possint; melius enim est ut illis supersint suffragia nostra, quam per oblivionem, vel incuriam nostram desint. (Cfr. Fornici, *Institutiones liturgicæ*, Pars II, Cap. 33.)

Deinde, sicuti quotannis Sanctorum memoriam per Festi celebrationem agimus, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem; ita quotannis Defunctorum memoriam agere sancta et salubris est cogitatio, ut illis proficiat ad salutem, et nos bene et religiose de resurrectione cogitemus.

NOTA. In Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ antiquioribus monumentis perspicua adeo sunt indicia Anniversariorum, ut ab ipsis Ecclesiæ primordiis Anniversarii pro Defuncto celebrandi consuetudinem extitisse, dubitari nulla ratione valeat. Jam sæculi III initio, Tertullianus refert: « Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. » (*De Corona militis*, Cap. III.) Eademque praxis aperte inferri potest ex iis quæ SS. Augustinus, Ambrosius, Cyprianus, aliquie Latinæ Ecclesiæ Patres; SS. Gregorius Nazianzenus, Joannes Damascenus, præter alios ex Græcis, tradunt. (Cfr. *Ephemerides Liturgicæ*, IV, 1890, pag. 237 et sqq; et XIV, 1900, pag. 640 et sqq.)

Q. 354. *Quæ distinctio animadvertenda est in Anniversariis?*

R. Patet quod in hac materia Anniversariorum, in qua sæpius, imo plerumque intervenit voluntas testatorum, aut hæredum, aut consanguineorum, aut amicorum, non parva diversitas voluntatum et desideriorum

dari potest, et animadvertisenda est pro legitima Anniversariorum celebratione.

Sunt qui fundant Anniversaria pro se ; pro suis familiaribus, aut amicis ; pro se et suis ; pro uno ; pro pluribus.

Sunt qui fundant Anniversaria celebranda in recurrente die obitus vel depositionis defuncti vel in alio determinato die, juxta benefacitum electo et statuto ; vel sine præfixione diei determinati, ex. gr., tali mente, vel circa tale Festum.

Sunt superstites consanguinei, aut amici, qui pro defuncto, vel defunctis, pro quibus fundata non fuere Anniversaria, petunt, ipso recurrente die obitus vel depositionis, celebrari Missam in animæ aut animarum suffragium ; alii ita fieri petunt extra recurrentem diem obitus vel depositionis, die juxta suam commoditatem electo.

Sunt Religiosæ Communitates, Canonicorum Collegia, Confraternitates, piæ Sodalitates quæcumque, quæ quotannis, semel in anno, die fixo vel mobili, pro defunctis Confratribus curant Missam pro Anniversario celebrari.

Omnes isti Missam quam intendunt, vocant Anniversarium.

In Rubricis et Decretis duplum distinguntur Anniversaria : sunt vel Anniversaria stricte sumpta, vel Anniversaria late sumpta.

Utraque habent sua privilegia, tum quoad dies in quibus celebrari possunt, tum quoad modum ea celebrandi.

NOTA. Juvat hic loci describere Decretum Generale S. Rituum Congregationis (2 Decembri 1891, n. 3753), quo distinctio præfata et leges super utroque Anniversario statuuntur :

« Sacra Rituum Congregatio declarat : »

« I. Anniversaria, seu Missas cum cantu pro defunctis, sive fundata a testatoribus pro die obitus aut alia determinata die, sive privata ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus, non comprehendit in Generali Decreto diei 5 Augusti 1662 ; et prohiberi tantum in duplicibus primæ et secundæ classis, in Dominicis

et Festis de præcepto, infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes et SSmi Corporis Christi, nec non Feria IV Cinerum, majori Hebdomada, in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes ; sicut et tempore expositionis solemnis SS. Eucharistiae, in respectivis Ecclesiis tantum. »

« II. Eadem Anniversaria si in diem impeditam incident, vel in proximam diem liberam transferri posse, vel in proximiiori antecedenti die similiter libera anticipari : dies autem liberi ii sunt, qui in superius recentitis non comprehenduntur. »

« III. Quod de diebus Anniversariis pro defunctis statuit, Sacra Rituum Congregatio declarat extendendum esse quoque ad dies 3, 7 et 30 ab obitu, sive quoad Missam de Requie cum cantu, sive quoad translatiōnem si impediatur. »

« IV. Denique Sacra Rituum Congregatio declarat, diem anniversarium pro defunctis, nec non dies 3, 7 et 30, tam a die obitus, quam a die depositionis computari posse. »

« V. De speciali vero gratia permittitur, ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint Anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quæ a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent ; nec non illa, quæ pro fidelium pietate infra octavam Omnium fidelium Defunctorum locum habent, exceptis diebus supra memoratis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. »

§ I. De anniversariis stricte sumptis

Q. 355. *Quid est Anniversarium stricte sumptum ? Explica.*

R. I. Anniversarium stricte sumptum est Missa de *Requiem*, quæ celebratur cum solemnitate extrinseca, aut saltem in cantu ; — vel ex titulo fundationis, quotannis, recurrente die obitus vel depositionis defuncti, aut alio determinato die ; — vel ex petitione vivorum, recurrente ipso die obitus vel depositionis defuncti.

350 (Q. 355) De Anniversariis stricte sumptis

Ante explicationem notatur quod olim tres requiebantur conditiones pro Anniversario legitime cum privilegiis suis celebrando, nempe : fundatio per testatores, aut hæredes, etc. : — fundatio perpetua ; — celebratio recurrente die obitus vel depositionis, aut alio die per instrumentum fundationis determinato. Ex his tribus conditionibus, duæ, prima nempe fundationis, et secunda fundationis perpetuae, admittuntur quidem, sed non amplius requiruntur ; et sola tertia, diei scilicet in quo Anniversarium est celebrandum, remanet ; ita disponente Decreto S. Rituum Congregationis, die 2 Decembris 1891, in præcedenti Quæstione citato.

II. Explicatur : 1. **Missa de « Requiem »** : etenim debet celebrari Missa de *Requiem*, et non sufficit Missam Officio conformem, aliamve celebrare.

2. **Quæ celebratur cum solemnitate extrinseca, aut saltem in cantu** : talis enim debet esse, ut gaudeat privilegiis ; Missa lecta non potest celebrari pro Anniversario, nisi iis diebus quibus permittuntur Missæ quotidianæ de *Requiem*.

3. **Vel ex titulo fundationis** : nempe ex dispositione testatoris, sive in suffragium ipsius testatoris, sive in suffragium parentum, consanguineorum, aut aliorum. Sufficit quælibet dispositio testamentaria, etiam mediata ; ut si hæredes Anniversarium fundaverint de expressa voluntate defuncti, ex bonis ab eodem relictis aut acceptis ; imo, sufficit fundatio facta ex consanguineorum, amicorum, vel testamenti executorum voluntate, nulla existente dispositione ex parte defuncti, vel defunctorum pro quibus Anniversarium celebrabitur.

4. **Quotannis** : id est, Missa in perpetuum fundata, et pro singulis annis ; aut saltem pro pluribus determinatis successivis annis ; et non pro una aut altera vice tantum, nec ita, ut singulis annis ad beneplacitum petentium relinquetur.

5. **Recurrente die obitus vel depositionis** : scilicet in vero die anniversario ab illo quo defunctus obiit, aut sepultus fuit. Olim admittebatur solus dies anniversarius ab obitu, sed per Decretum S. Rituum Congrega-

De Anniversariis stricte sumptis (Q. 355) 351

tionis, diei 2 Decembris 1891, statutum fuit admitti etiam diem qui anniversarius est a depositione, seu sepultura defuncti. (Cfr. Q. 354, Nota, ad IV.)

6. **Defuncti** : dicitur in singulari ; attamen pro pluribus defunctis simul potest etiam Anniversarii fundatio constitui ; sed tunc est necesse ut dies sit anniversarius ab obitu vel depositione unius ex pluribus.

7. **Aut alio determinato die** : extra diem vere anniversarium ab obitu vel depositione defuncti fundari potest Anniversarium ; sed debet a testatoribus aut fundatoribus, in fundationis actu seu instrumento, assignari dies certus et determinatus, isque debet semper et in perpetuum servari.

NOTA. Nonnumquam in testamento nihil quoad diem determinatur ; ex. gr. testator fundat Anniversaria tria, unum pro patre, unum pro matre, unum pro seipso ; in tali casu munus erit executoris testamenti, vel parochi, determinare diem uniuscujusque ex Anniversariis ; et consultius, in quantum fieri potest, pro unoquoque determinabitur dies obitus vel depositionis, vel alias propinquior, si ille sit impeditus.

Sequuntur nunc dispositiones pro Anniversario, ex novo jure, per supra citatum Decretum 2 Decembris 1891 statutæ.

8. **Vel ex petitione vivorum** : non amplius igitur requiritur pro legitima celebratione Anniversarii, tamquam conditio sine qua non, fundatio facta ; sed sufficit quod hæres, aut amicus, aut quicumque privatus petat, pro sua erga defunctum privata devotione, Missam de *Requiem* pro defuncto celebrari ; neque hoc quotannis debet fieri, neque in perpetuum : sufficit enim si petatur pro una vice tantum ; admittitur interruptio ; ita ut Anniversarium singulis annis relinquatur ad beneplacitum petentium. Hujusmodi Anniversarium ad petitionem viventium, ut distinguatur a fundato, vocatur, in Decreto 2 Decembris 1891, privatum.

9. **Recurrente ipso die obitus vel depositionis defuncti** : hic datur distinctio Anniversarii privati ab Anniversario fundato ; pro hoc enim in instrumento fundationis potest assignari dies certus et determinatus, diversus a vero die obitus vel depositionis (vide supra)

BIBLIOTHECA CATHOLICA
U. A. M.

352 (Q. 356) De Anniversariis stricte sumptis

n. 7 ; pro præsenti Anniversario privato, non fundato, ut Missa de *Requiem* pro Anniversario celebretur legitime, requiritur, quod celebretur in die qui vere anniversarius est ab obitu vel depositione : et extra hunc diem privilegia non amplius existunt pro Missa de *Requiem* celebranda.

Cæterum, si excipias diversitatem assignatam nn. 7 et 9, inter Anniversarium fundatum et privatum, utrumque gaudet iisdem omnino juribus et privilegiis, quæ in sequentibus Quæstionibus exponuntur.

Q. 356. Quibus diebus prohibentur Anniversaria stricte sumpta ?

R. Missam de *Requiem* pro defuncto celebrare, in die anniversario ab obitu vel depositione, permittit Ecclesia, quantum fieri potest, ne animabus damnum inferatur ; nisi obstent Officia divina, aut dierum celebritas ; attamen, hujusmodi Missæ Anniversarii aestimavit concedi debere privilegia non tanta, quanta Missæ in ipso Obitus seu Depositionis die celebrandæ ; quam distinctionem jure merito sapientem et rationi consitaneam agnoscet, qui perpenderit providendum quoque esse, quantum fieri potest, Festorum et Mysteriorum liturgicæ celebrationi ; et insuper, potiorem esse diem Obitus seu Depositionis reliquis Defunctorum diebus solemnis. (Cfr. Q. 312.) Ex variis S. Rituum Congregationis Decretis constat, Missas de *Requiem* in Anniversario stricte sumpto, tum fundato, tum privato, prohiberi sequentibus per annum diebus :

1º in **Dominicis** omnibus ;

2º in **Feriis** privilegiatis, scilicet IV Cinerum, et totius Hebdomadæ Sanctæ ;

3º in Festis duplicibus 1 et 2 classis ; et in Festis quæ de jure sunt de præcepto, etiamsi suppressum sit præceptum ; unicum pro nostra Diœcesi remanet Festum hujusmodi, nempe S. Silvestri, Papæ et Confessoris, quod celebratur ritu dupli minori die 31 Decembris (cfr. Q. 11) ;

4º infra **Octavas** privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, et SS. Corporis Christi ;

De Anniversariis stricte sumptis (Q. 357, 358) 353

5º in Vigiliis majoribus Nativitatis Domini, et Pentecostes ;

6º diebus quibus SS. Sacramentum solemniter ob causam publicam est expositum ; intellige tamen tempore expositionis ;

7º his diebus addendæ sunt, pro casu particulari, Feriæ Rogationum : in illis scilicet Parochiis, in quibus præter Parochum nullus alias est Sacerdos ; quia ibi Officia divina, videlicet Rogationes non possunt omitti ; etenim, si ibi non permittitur Missa de *Requiem* exsequialis præsente corpore (cfr. Q. 334), a fortiori non conceditur Missa de *Requiem* pro Anniversario.

NOTA. Permittuntur itaque Missæ de *Requiem* pro Anniversario stricte sumpto :

1º in omnibus Feriis, etiam majoribus (cum restrictione facta sub 7º), exceptis Feriis privilegiatis ;

2º in omnibus Festis duplicibus majoribus, minoribus (excepto Festa S. Silvestri, 31 Decembris, quod de jure de præcepto est), et in Festis semiduplicibus, et simplicibus ;

3º infra Octavas communes omnes ;

4º In Vigilia majori Epiphaniæ, et in omnibus Vigiliis minoribus.

Q. 357. An, si Anniversarium occurrat in die Missam de *Requiem* prohibente, non sufficit cantare Missam Officio conformem, cum applicatione Sacrificii ad intentionem testatoris, vel petentis ? Quare ?

R. Negative ; etenim voluntas testatoris debet adimpleri, etiam quoad qualitatem Missæ, ut licite eleemosyna accipi possit ; quod plures declaravit S. Rituum Congregatio, et signanter per Decretum 22 Decembris 1753 (n. 2427, ad 1, antiq. 4237, ad 3), quoad dubium : « An, obitus die impedito, possit cantari Missa de occurrenti Festa vel Feria privilegiata, applicando fructus Sacrificii defunctorum animabus », respondit non posse.

Q. 358. Quid specialiter statutum est, casu quo Anniversarium accidentaliter vel perpetuo est impeditum, per occurrentiam in die quo Missa de *Requiem* prohibetur ?

R. Pia Mater Ecclesia, quantum fieri potest, sollicita ne Defunctorum animabus damnum inferatur neve

354 (Q. 359) **De Anniversariis stricte sumptis**

suffragia differantur, ubi in determinato Anniversarii die Missam de *Requiem* celebrari aliquando prohibet, occurrente perpetuo vel accidental i impedimento, simul remedium quamprimum afferre satagit.

Idcirco per plura S. Rituum Congregationis Decreta indultum fuit, quod, si in diem impeditum incidat Anniversarium, sive fundatum a testatoribus, pro die obitus vel depositionis, aut alio determinato die, sive privatum ad petitionem viventium, pro die obitus vel depositionis, Missa de *Requiem* pro Anniversario **anticipari** potest, vel **transferri**, sed tantum **in primum diem simili modo non impeditum**. Cantabitur Missa Anniversarii hoc primo die libero, eodem omnino modo, sicuti in ipso die Anniversario factum fuisset, si non occurisset impedimentum. Sane melius est anticipare quam differre, ut Missa citius animabus Defunctorum suffragetur.

Hoc tamen privilegium non perseverat, si **primus dies**, sive in anticipatione, sive in dilatione seu translatione, negligitur; nam ultra primum diem nullum amplius exstat privilegium, et eo neglecto, Missa Anniversarii tantum celebrari potest iis diebus, quibus permittuntur Missæ defunctorum quotidianæ.

Quid, si plura darentur impedita Anniversaria, exempli gratia, si per quindenam a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, quatuor occurrent Anniversaria? Certo unum per anticipationem, secundum per dilationem, possunt celebrari in primo die non impedito ex iis qui Quæstione 356 in Nota proponuntur, et si clerus sufficiens est, tertium et quartum in eodem die celebrari poterunt; sed quid, si aliquid obstet quominus tertium et quartum tunc celebrentur? Quæstio hæc nusquam soluta reperitur; et donec solvatur, servetur praxis ea differendi, vel potius anticipandi, in dies quibus Missæ de *Requiem* quotidianæ permittuntur celebrari.

Q. 359. *Da exemplum hujusmodi translationis per anticipationem vel dilationem.*

R. Supponatur Anniversarium celebrandum die 23 Decembris, quo die in Kalendario assignatur Officium de Feria majori Adventus. Si quodam anno hoc die occurrat Dominica, uti anno 1900, impeditur Anniversarium accidentaliter in die suo legitimo; et transeren-

De Anniversariis stricte sumptis (Q. 360, 361) 355

dum est. — Convenientius anticipatur, et quidem in diem 22 Decembris; vel, hoc die etiam impedito per officium dignius particulare, aut aliud liturgicum impedimentum, anticipatur in primum diem liberum antecedentem, ex. gr., 20 Decembris. — Quod si anticipatio non convenient, differtur Anniversarium: primus dies liber est 2 Januarii, et casu quo occurrat liturgicum impedimentum, 3 Januarii. Celebrabitur his diebus Anniversarium eadem cum solemnitate, eodemque modo, sine variatione pro Oratione, et cum omnibus privilegiis, ut in die suo fixo, 23 Decembris, si hic impeditus non fuisset. — Verum si dies 22 Decembris, vel 2 Januarii, primus liber, neglectus fuisset, omne privilegium pro translatione amissum foret, et non posset celebrari Anniversarium nisi, ante 22 Decembris, aut post Octavam Epiphaniæ, iis diebus quibus permittuntur Missæ quotidianæ Defunctorum.

Q. 360. *Quid notandum est de Solemnitate Missæ in Anniversariis stricte sumptis?*

R. Ut liceat celebrare Missam de *Requiem* pro Anniversario in Festo dupli majori aut minori, et in Vigilia Epiphaniæ, debet Missa omnino esse **solemnis** aut saltem **cantata**. (Cfr. Q. 355, 2.)

Missa **lecta** in ipso die anniversario permittitur iis tantum diebus, quibus permittuntur Missæ quotidianæ de *Requiem*; sed tunc poterit celebrari sicut ipsa Missa cantata privilegiata, cum unica et propria Oratione, ut dicetur Q. 362. (Cfr. QQ. 323, 324, 325.)

Q. 361. *Quot numero licet celebrare Missas de Requiem in Anniversariis?*

R. 1º In Festo dupli majori aut minori, et in Vigilia Epiphaniæ, in eadem Ecclesia unica tantum permititur Missa de *Requiem*, solemnis aut cantata, pro singulo seu unoquoque Anniversario. Mens enim Ecclesiæ esse videtur, quod, sicut in die Obitus vel Depositionis unicam tantum admittit Missam exsequialem privilegiatam, ita etiam in defuncti Anniversario privilegia concedit tantum uni Missæ de *Requiem*. — Nullibi tamen prohibitum est quod in diversis locis, aut Eccle-